INTIMATUM

CAESAREO REGII UNIVERSALIS PER GALICIAM OCCIDENTALEM APPELLATIONUM TRIBUNALIS.

Altiſſima diſpoſitio intuitu aſſumendorum Advocatorum.

Dum Sacratiſſima Cæſareo Regia Majeſtas ſub 30. Julii a. c. altiſſimam ſuam intentionem eo declarare dignata fuiſſet, ut in futurum nullus cœtui Advocatorum adſcribi mereatur, cujus vere profunda Doctrina per rigoroſiſſimum Tentamen non eluceſceret, & qui ſuæ bonæ moralitatis ſolidas probas non adferret, ſtatuere una hunc in finem dignabatur, ſequentes Regulas reſpectu admiſſionis ad Stallum advocandi obſervandas.

Primo: In Advocatorum cœtum nemo adſciſcatur, neque in civitatibus, nec in municipiis & ruri, qui lauream Doctoratus in Univerſitate aliqua Provinciarum hæreditariarum conſequutus non fuerit.

Se-

Secundo: Univerſitatibus diſpoſitum eſt, ut in tentamine pro gradu omnis rigor adhibeatur, & vel ideo nonniſi eminentibus ingeniis laurea Doctoratûs tribuatur.

Tertio: Gradu doctoratus gaudens, in quantum ſe muneri advocandi conſecrare vult, tenetur penes Advocatum per tres annos in cauſis judiciariis praxim exercere, & ab illo conſcientioſum Teſtimonium de ſua applicatione & probitate morum producere, ſecus ſine exhibendo tali Teſtimonio ab Appellationum Tribunali ad Tentamen pro ſtallo advocandi peragendum, non admittetur. Appellationum Tribunal vero omni cum exactitudine & rigore examen ad mentem diſpoſitionis in inſtructione generali ddto. 9. Septembris 1785 parte II. capite 10. contentæ aſſumet. In quantum itaque

Quarto Candidatus has conditiones rite adimpleverit, etiam ei fas eſto, partibus in Provincia pro qua ſtallum advocandi obtinuit, & ab Appellationum Tribunali examinatus fuit, in omnibus Inſtantiis judiciariis patrocinari. Si tamen

Quinto ſucceſſu temporis obſervaretur, quod Advocatus munere ſuo abutatur, cauſas aperte injuſtas defendat, dolos moliatur, protractiones juſtitiæ ſibi permittat, aliasque actiones illicitas cum detrimento partium & candidæ juſtitiæ adminiſtrationis ponat, aut eatenus manum præbeat, aſſumta prævie ordinata inveſtigatione & ſubſecuta probatione facti, a ſuo munere publico, quod ſummam probitatem requirit: ſine ulteriori amovendus, de hocque rigore Candidatus, Tentamen præſtiturus, monendus eſt. Aſt vero

Sexto his Advocatis, qui ſe probe gerunt, & qui ſuæ zeloſæ - diligentis, & in Juſtitia fundatæ de-

defenſionis partium indubitata ſpecimina dederunt, pro eorum ſolamine intimandum ſit, illorum cum ad munus quodpiam publicum concurrerint, reflexionem habitum iri, & ideo generaliter circa Concurſus pro munere Judicis, horum, qui per rigoroſum Tentamen Doctoratûs lauream conſequuti ſunt, & per aliquot annos praxim judiciariam exercebant, reflexionem habendam, hanc autem regulam per Inſtantias judiciales circa præſtandas eo obtutu propoſitiones obſervandam fore.

Datum Cracoviæ die 13. Octobris 1800.

Nicolaus Urbański, Præſes.

Adalbertus de Lewin Lewinsky, Vice-Præſes.

Ex Conſilio Cæſ. Reg. Appellationum Tribunalis Galiciæ Occidentalis.

Bernardus Dwernicki.

Emanuel de Traubenburg.

